



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 168. Legati ad Amadæum Sabaudum decreti

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.
A. C. 1448.

§. CLXVIII.

*Legati ad Amadæum Sabaudum
decreti.*

Nihilominus cum in hoc Conventu congregati una omnes nonnisi sana foverent consilia, atque aliunde quoad principale, scilicet cessionis ab Amadæo promissæ punctum cuncti jamjam in eandem sententiam conspirarent, unanimi suffragio decreverunt, Amadæum Genevæ, ubi tum agebat, adeundum, (*) prævie tamen quosdam articulos esse statuendos, quibus si ambo Competitores, Nicolaus & Felix consensuri essent, hic prætensam Pontificatus sui dignitatem abdicaret. Igitur Mense Novembri abeunt Legati, eodemque tempore alii Regis Caroli Oratores redeunt, eumque Turonii conveniunt, significantque, Amadæum ut Papatui cederet, pollicitum esse. Accepto hoc nuncio Rex Legatos Romam mittere statuit, qui cum Nicolao Papa de futuræ abdicationis conditionibus conferrent, simulque omnes remoras, quas forte Pontifex opponeret, sedulo tollerent. Hoc Regis consilium haud dubie optatum pollicebatur successum; quippe Pontifex Vir erat animi lenita-

(*) *Ceterorum Historicorum nullus affirmat, Amadæi quoque consensum fuisse expetitum.*

nitate, pacisque amore longe celeberrimus; atque ideo benevola prorsus aure exceptit cunctas concordiae conditiones sibi a tanto Rege propositas, qui proprio suo commodo justitiam, ac Ecclesiae unionem longe praeferebat, nil nisi utriusque partis utilitatem cordi habuit.

Saecul. XV.
A. C. 1448.

§. CLXIX.

Legatio Regis Franciae ad Nicolaum Papam.

Hac Legatione Romam decreta fungebantur Rhemensis Archiepiscopus, Elias de Pampadur, non ita pridem ad Episcopalem Alesiae Sedem euectus, Guido Bernardus Turonensis Archidiaconus, Corfellis Theologiae Doctor, Tannequillus de Castro & Jacobus a Corde (*) supremus Fiscii Regii Praefectus. Hos aliquot dierum itinere praevenerant Angliae Legati, qui interea summo Pontifici concordiae formulam Genevae conceptam exhibuere; hanc tamen Nicolaus rejecit, utpote conditionibus uni parti nimium onerosis, & alteri plus justo commo-

(*) *Idem a Matthaeo de Coucy in sua historia Caroli VII. gallice conscripta pag. 691. appellatus Jacobus Cor. Argentier, seu pecuniae Regis pro domestica impensa administrator.*